
Fragmentarium



Deut 2,5

mini contra illos. neq; dabo uob
de terra eorum quantum potest
uestigium pedis calcare uestigium.
quia in possessionem montem seir dedi
Cibos emetis a me
pecunia & comedetis. aquam
etiam hauietis & bibetis. Dñs
deus tuus benedixit tibi in omni ope
manuum tuarum, Nouit iter
tuum quomodo transieris solitu
dinem hanc magnam per quadraginta annos. habitans tecum
dñs deus tuus. & nihil tibi defuit, Cúq;
transissemus fratres nostros filios esau
qui habitant in seir per uiam campestrem de helath. & de asiongaber
uenimus ad iter quod ducit in de
sertum moab. Dixitq; dñs ad me,
Non pugnes contra moabitas. nec
incipias ad uersus eos proelium,
Non enim dabo tibi quicquam de terra eorum. quia filiis loth tradidi
eam in possessionem, Emim primi fu
erunt habitatores eius. populus
magnus & ualidus. & tam excelsus. ut de
anachim stirpe quasi gigantes credantur.
& essent similes filiorum enacchim.
denique moabite appellent eos emim,
Inseir cum prius habitauerunt
horim. quibus expulsis aduq; delendis
habitauerunt filii esau. sicut fecit
israhel in terra possessionis suae quam
dedit eis dñs, Surgentes ergo ut
transiremus torrentem zared.
uenimus ad eum, Tempus autem quo
ambulauimus de cades barne usq;
ad transitum torrentis zared.
triginta octo annorum fuit. donec consumerentur omnis generatio hominum bellatorum de castris.
sicut iurauerat dñs, Cuius manus
fuit aduersum eos. ut interirent
de castrorum medio, Postquam
cum uniuersi cecidissent pugnatores. locutus est dñs ad me dicens,
Tu transibis hodie terminos moab.
urbem nomine ar. & accedes in
uicinia filiorum ammon, Caue
ne pugnes contra eos. nec moueris
ad proelium. Non enim dabo tibi
de terra filiorum ammon. quia
filiis loth dedi eam in possessionem,
Terra gigantum reputata est. & in ipsa olim habitauerunt gigan
tes, Quos ammanitae uocant
zomzommim. populus magnus
& multus. & procere longitudinis
sicut enacchim. quos deleuit dñs a facie eorum, Et fecit illos habitare
pro eis. sicut fecerat filiis esau
qui habitant in seir, Delens hor
reos & terram eorum illis trade ns.
quam possident usq; in praesens,
Euheos quoq; qui habitabant in
aserim usq; gazam. cappadoces
qui egressi de
cappadocia deleuerunt eos. &
habitauerunt pro illis, Surgite &
Dt 2,24

License: public_domain – München, Bayerische Staatsbibliothek, Clm 29260(1, 14v – Old Testament (https://fragmentarium.ms/view/page/F-4bhc/10118/73644)